

incendio congregat. FAB., conc. III, in *Dom.* 24 post Pent.

Cassianus Tartarorum Rex cum filiam Regis Armeniæ post devictam Syriam in uxorem petisset, hæc tam deforem pepertit filium, ut nulla ratione Rex persuaderi poterit, hunc summ esse filium, ideoque uxorem velut adulteram morti adiudicavit, a qua tamen per miraculum liberata est. Justius hanc sententiam vereri potest peccator, si per gratiam in sponsam a Deo electus tam deforem peccati partum illi pariat. Ib., conc. III, in *Dom.* 24 post Pent.

AXIOMATA.

Recte Horatius cecinit :

Seditio, dolis, scelere atque libidine, et ira, illacos intra muros peccatur, et extra.

HORAT.

Humanum est peccare : at in peccato perseverare diaprocul a peccato, procul a fulmine. bollicum.
Peccatum blande ingreditur, sed in fine mordet, ut Peccanti fractus, diri post crimina luctus : coluber.
Peccatum et infamia sunt inter se confusa.
Nemo lealitur, nisi a seipso.
Nullum malum, nisi peccatum.

AUCTORES.

Franciscus Arrius, tr. *Integro.*
Joannes Buseus, in *Panario.* V. eodem.
Petrus Canisius, t. IV, de *Peccato in genere.*
Jacobus Alvar., de *Extincto vitiorum.*
Nicolaus, Lancizius, *opus xvi.*
Bernardinus Rosignolius, lib. II, de *Disc. relig.* a c. vi.

Philippus D' Outreman, in *Pædagogico Christiano* p. I, cap. II et III.

Ludovicus Granatensis, in *Locis communibus*, fol. 226. et seq., in *Duce peccatorum*, passim.

Joannes Peleus, de *Summo bono.*
Joseph. Langius, in *Polyantha.* V. eodem.

Mathias Faber, conc. III, in *Dom.* 3 post Pent. et conc. IV, in *Dom.* 13 post Pent. Item conc. V et IV, in *Dom.* 19 post Pent. et conc. III, in *Dom.* 24 post Pent.

Laurentius Beirlink, in *Theatro vite hu-*

manæ, et in *Promptuario* text. IV, in *ser.* 2 Pent.

Henricus Engelgrave, *Dom.* 6 post Epiph. Antonius Dauroltiis, in *Floribus Ecclesiarum* c. VI, §§ 1, 2 et 3.

Josephus Mansi, in *Bibl. morali*, tr. LXXXVIII.

PERFECTIO CHRISTIANA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est plena et absoluta finis sui ultimi consecutio; tunc enim res quælibet in sui genere perfecta censetur, cum finem, propter quem creata aut facta est pene obtinuit, uti omnium introductione patet; unde cum finis hominis sit, ut Deo serviat, eumque reveratur, laudet, et amet in hac vita, in altera autem perfecte possideat, facile patet, perfectionem illius in perfecta charitate consistere, per hanc quippe moraliter unitur Deo, et quantum in hac vita fieri potest, possidet Deum. Hinc Apostolus ait : Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. *COLLOSS.*, III, 14.

DIVISIO. — Dividitur in perfectionem vitæ « activæ, contemplativæ, et mixtæ, » de quibus S. Bernardus ait : Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit : meliorem forte, qui bene vacaverit Deo : optimum autem, qui perfectus est in utroque. S. BERN. in S.

EX SCRIPTURA.

QUALITAS. — Ambula coram me, et esto perfectus. *GEN.*, XVII, n. 1.

Time Deum, et servite ei corde perfecto. *JOS.*, XXIV, n. 14.

Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester caelestis perfectus est. *MATTH.*, V, 48.

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate. I *JOAN.*, IV, 18,

Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. *JOAN.*, X, 10.

Qui servat Verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est : et in hoc sumus, quoniam in ipso sumus. I *JOAN.*, II, 5.

Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni sequere me. *MATT.*, XIX, 21.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. *JAC.*, III, 2.

Perfectus eris, et absque macula cum Domino Deo tuo. *DEUT.*, XVIII, 13.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Si vis perfectus esse, tu, qui perfectum te esse pollicitus es, quid aliud, quam perfectam secutus es vitam? Perfectus autem servus Christi nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, cum se perfecte Deo sit pollicitus, aut mentitus est. Os autem, quod mentitur, occidit animam; igitur ut concludam, si perfectus, cur paterna bona desideras? si perfectus non es, Dominum sefellisti. S. AUG., I, de *Perf. just.*

Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit, ex eo perfectiorem quisque se probat, quo ad majorem tendit perfectionem. S. BER., in *Epist.*

Deo, a quo nos sumus facti, nos reddamus nec dominari nobis ea, quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus, dominetur utilis ratio, subjiciatur corpus animo, animus Deo, et impleta est tota hominis perfectio. S. PROPS., I, III, de *Vita Contempl.*

Perfectus est, qui ad perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus, damnabilibus, atque ipsa etiam peccata venialia non negligens mundare elemosynis. S. AUG., I, c. IX.

Indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. S. BER., in *Epist.* cxxiii.

Hominis proprium est, ut semper proficere appetat et nunquam ab inquisitione torpescat, et ad hujusmodi proficiendi sollicitudinem naturali impulsu ducitur, et ad hoc est conditus, ut potiora semper concupiscens perveniat quandoque ad id, quo nihil est melius, quod est ipse Deus. S. LAUR. JUST., in præm. de *Grad. perfect.*

TOMUS III.

Summa rationalis creaturæ perfectio est, principio suo conjungi, illique, quatenus licet, assimilari. Quo enim fuerit illi similior, eo erit perfectior. GRANAT., *Loc. com.*, fol. 143.

Electis, cum foris atas corporis intus, si dici liceat, crescit ætas virtutis. S. GREG., I, XXI *Mor.* cap. XIII.

Christus, sicut in illo ipso homine, quem gessit, ita in nostris mentibus quosdam gradus corporeæ ætatis exequitur. Nascitur, crescit, roboratur, senescit. Sed orandus, ne in nobis diu aut jugiter parvulus aut infirmus, et pauper sit. S. PAULIN., *ep.* III ad *Sever.*

Verus amor gradu uno contentus non est, ad altiora semper nititur, et ad perfectiora indesinenter concupiscit attingere. Quas habet, non magni facit virtutes, proficiendi accensus desiderio. S. LAUR. JUST., c. II de *Cast. connub.*

Hæc est in omnibus sola perfectio, suæ imperfectionis cognitio. HIER., in *Epist. ad Theoph.*

Tanto quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. GREG., in *Homil.*

Valde perfectorum est, ostenso opere, auctoris gloriam quærere, ut illata laude privata nesciat exultatione gaudere. GREG., *Moral.*

Hominis perfectio, continentia sibi, innocentia proximo, patientia utriusque. BERNARDUS, super *Cant.* serm. LXX.

Homo perfectus cautus sibi, placens Deo, utilis suis. *IBID.*, serm. LIX.

Quicquid verum est ac bonum, id perfectum non potest esse nisi fuerit singulare. LACTANTI.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Omnis perfectio in hac vita quamdam imperfectionem sibi habet annexam. L. I, c. III, § 2.

Quare quidam Sanctorum tam perfecti et contemplativi fuerunt? quia omnino seipso mortificare ab omnibus terrenis desideris studuerunt, et ideo totis medullis cordis Deo inhærere, atque libere sibi vacare poterunt. L. I, c. XI, § 2.

Totum et maximum impedimentum est, quia non sumus a passionibus et concupis-

centiis liberi, nec perfectam Sanctorum viam conarum ingredi. *Ibid.*, § 3.

Neque tunc aliquid magni te reputes, aut specialiter dilectum existimes, si in magna fueris devotione, atque dulcedine, quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis, nec in istis consistit profectus et perfectio hominis, in quo ergo, Domine? in offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo, quæ tua sunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas inter prospera et contraria, omnia æqua lance pensando. *L. III, c. xi, § 2.*

Domine, hoc opus est perfecti viri, nunquam ab intentione cœlestium animi relaxare, et inter multas curas quasi sine cura transire, non more torpentis, sed prærogativa quadam liberæ mentis, nulli creaturæ inordinata affectione adhærendo. *L. III, c. xxvi, § 1.*

EXEMPLA.

Noe, ipsius S. Scripturæ testimonio, vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. Hinc et gratiam invenit coram Domino. *GEN., vi, 9.*

Abrahamo dixit ipse Deus: Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, et esto perfectus, ponamque fœdus meum inter te et me, et multiplicabo te vehementer nimis. *GEN., xvii, 1.* Et iterum: Faciamque te in gentem magnam, benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. *GEN., xii, 2.*

De David Rege ipse Deus etiam testatus est: Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. *ACT., xiii, 22.* Hinc addit: Oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. *PS. lxxxviii.*

Sed et de Job dixit Deus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo? Hinc et mortuus est senex, et plenus dierum. *JOB., i, 8.*

S. Paulus de seipso scribit Philippensibus: Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu

Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucri faciam. Non quod jam acciperim aut perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse; unum autem, quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. *PHILIP., iii, 8.*

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius omnes suas cogitationes, verba et opera in Deum tanquam finem referebat. Hinc et assiduo in Constitutionibus et Regulis verba ista: « Ad majorem Dei gloriam: majus Dei obsequium semper intendo; » repetebat, ita ut dicentis quadraginta duabus vicibus eum id repetisse, Lancizius testetur. Ex his nimirum oriebatur gaudium illud spirituale, quo hic Dei servus plene repletus erat: illa serenitas, quam semper in vultu præ se ferebat, illa pax interior animi, sed et perfectissimum dominium suarum commotionum et perturbationum consecutus fuerat. Unde ipsemet aliquando dicere auditus est, se vivere non posse, si quid in anima sua humanum, et non omni ex parte divinum adverteret. *Relat. pro Canoniz. Quocirca Julius III Pontifex de eo dixit: nihil, quod pium, sanctumque non sit, in exemplari Ignatii vita, moribusque reperiri. LANTIZ., ep. xviii, c. vii.* P. Andreas Frutius intimus S. Ignatii subditus, et Angelus ab eo nuncupatus, quære solebat, cœlestem Christi gratiam quasi ingentiam eique connaturalem videri. Alii vero domestici excellenti judicio pollentes, admirati ejus sanctimoniam dicebant, vere et ad vivum expressam esse in eo omnem illam perfectionem, quæ tum in Constitutionibus Societatis a S. Ignatio conscriptis, tum in aureo libello Thomæ de Kempis, tum in libello exercitiorum legitur. *Ibid.* Nominatim vero P. Ludovicus Gonzalez Confessarius Regis Lusitaniæ, vir summi iudicii et prudentiæ confessus est, se nullo tempore orationis, vel lectionis tantopere ad amorem Dei incitari, quam eo tempore, quo S. Ignatium aspexisset. *LANTIZ., Op., n. 322.* S. Francis-

cus Xaverius autem tanti eum æstimabat, ut coram domesticis, non nisi sanctum vel beatum appellaret, litteras ad ipsum flexis genibus scriberet, et nomen illius adhuc vivens a literis rescissum, in reliquiaria theca circumportaret. *IBID., Op. xviii, c. xviii.*

S. Francisus Xaverius perfectissima sua vita tantam sibi sanctitatis opinionem conciliaverat, ut statim ab obitu pro Sancto haberi et coli cœperit, non a Christianis tantum, sed Ethnicis etiam, pluresque etiam post mortem mortui fuerint resuscitati, lampades autem coram ejus imagine suspensæ sola aqua superfusa sine oleo arderent, immo interdum extinctæ, sponte accenderentur. *Ibid.*

B. Aloysius unice conabatur, ut mentis suæ lumen factis æquaret, et ut quodlibet munus, officium, negotium cum Christi Sanctorumque exemplo consentiret. *LANTIZ., Op. viii, n. 226.*

B. Stanislaus Kostka, teste Sacchino, adeo in cunctis rebus absolutam honesti formam tenore æquali tenuit, expressitque, ut vel consueta disciplinæ domesticæ munera obiens, quemdam splendorem insolitum et lucem adderet. Itaque etiam cum eadem solum, quæ cæteri faciebant, plura tamen atque ampliora videbatur præstare, quam cæteri. *Ibid., n. 284.*

P. Petrus Faber tum exemplo Christi, qui tringinta annis prius factu docuit, quæ verbo postea docturus erat, incitatus, tum quod sciret Deum valde desiderare profectum nostrum persuasus, nitebatur quotidie insignem progressionem in perfectione facere. Quem in finem sequentes industrias adhibebat. 1. Quotidianam singularum actionum ordinationem. 2. Accuratam examen conscientiæ. 3. Tristem peccatorum, et plenam dolore confessionem. 4. Sollicitudinem pie sacrificandi. 5. Sacramentorum prudentem et consideratam administrationem. 6. Diligentem et perattentam psalmodiam. 7. Frugiferam verbi divini tam in privatis colloquiis, quam publicis concionibus tractationem. 8. Frequentem renovationem et inspectionem sui status. 9. Compunctionis internæ, et assiduæ occupationis studium. *Vita, l. II, c. xi.*

De P. Baltassare Alvarez revelavit Deus S. Theresiæ quod tunc in terris adeo excelso in gradu perfectionis sit constitutus, ut eo tempore nullus esset n. altiori. *Vit., c. xi.*

P. Joannes de la Placa Hispanus, Societatem jam Theologiæ Doctor ingressus, ita perfectionis omnes assecutus est, ut Novitius adhuc tyronum Magister fieret, et in rebus spiritualibus a gravissimis Patribus consuleretur. *Colleg. M., annuæ 1602.*

P. David Locher per plures annos exiè peccatus est, ut ex hac morte quocivis evocaretur ad vitam, vel si porro hic vivendum esset, ut non viveret, nisi sanctus. Unde illud illi non infrequens: Aut mori, aut in sanctum evadere. *Annuæ 1650, f. 22.*

Joannes Berchmannus non solum in rebus semel susceptis constans fuit, sed etiam semper nova excogitabat media ad profectum suum spirituale. Ejus axioma fuit: Nisi ego sanctus evadam interea, dum sum juvenis, nunquam ero sanctus. *Vita, p. II, pag. 82.*

P. Sebastianus Barradius tantam sanctitatis famam sibi comparaverat, ut in Lusitania tota sanctus andiret, et illa vox omnium esset, si illa adhuc tempora forent, quibus populi, doctiorumque consensus aliquos sanctos declararunt, Sebastianum statim illis fuisse annumerandum. Ultimis concionibus et cathedra descendens, sat negotii habuit, ut vestem a contrectantium oculis evellet. Multi peregre venerunt, ut solo ejus aspectu sanctitatis pleno ad virtutem accenderentur: alii, ut fimbriam aut capillos a tonsore impetrent, dicentes, se non minoris ea facere, quæ attigisset, quam si canonizatus esset. In *Narr. præfixa itinerar. Fil. Israel.*

P. Sebastianus a Campo tantæ erat sanctitatis, ut, ubi per urbem campanarum pulsus mors ejus innotuit, omnes eum statim ad Sanctum invocant. Vestes illius omnes scissæ sunt a populo concurrente, immo et aliquot pedum digiti amputati, ex quibus mox purissimus sanguis cum omnium stupore effluxit. Reliquiæ ejus omnes morbos et infirmitates curabant, et innumera miracula patrabant. *Annuæ Sardinia 1609. Col. Salsaridane.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut is, qui Grammaticam docet, perfectus quidem Grammaticus dici potest, superior tamen illo, et perfectior est

Rhetor, et his omnibus longe eminentior Philosophicæ doctrinæ perfectio; et cum S. Paulus dicit: Non quam jam assecutus aut perfectus sum; ad apicem celestis perfectionis videbatur aspirare. Cum vero dicit: Quicumque ergo perfecti sumus, etc., ad humanæ tantum perfectionis gradum respexit. ORIGEN., l. X, in *Ep. ad Rom.*

Sicut is, qui fundamenta jacit domus, aut unum, alterumve parietem ædificat, non dicitur domum extruxisse, sed illi tantum hæc laus attribuitur, qui singula membra ædificii ad perfectum perducit; ita neque is, qui in virtutum studio se exercet, perfectus statim dici potest, sed insuper requiritur, ut etiam ad charitatis apicem ædificium spirituale perducatur. IDEM., in *Ep. ad Rom.*

Sicut domus etiam illa mundissima dicitur, quæ quædam aliquis sordidissimè pedibus ingressus est, statim eluitur, et purgatur; ita perfectus dici adhuc potest, qui interdum labitur in levia peccata, modo illa statim per confessionem aut contritionem delet. FAB., conc. v, in *Dom. 5 post Pent.*

Sicut Dux militaris, si constanter hostem impugnet et vellicet, egregii Ducis nomen obtinet, licet non omnino expugnet, et debeat, imò quandoque minus feliciter pugnet: sic perfectus Christi miles dici potest etiam, is, qui interdum a passione vincitur, modo a contentione pugna non desistat. IDEM.

Sicut si nihil nutrimenti decederet ex quotidiana cibi sumptione, in magnam proceritatem corpora exerescerent, ita virtus perfectorum, cum ad modum ciborum ingesta non egeretur, altiores semper per sese participantes efficit, sui semper adjectione magnitudinem augens. S. GREG. NAZ., in *Ps. Beati qui habitant.*

Sicut Zenxis Diane simulacrum a Crotone depingere iussus, omnes virgines speciosas in uno loco colligi iussit, ut futuri elegantiam operis ex earum posset specie mutuari; sic et perfecti ex variis virorum sanctorum virtutibus, unius in se veri Dei restaurant imaginem. S. PETRUS DA., apud Lanciz, *Op. III*, n. 286.

Sicut in utero imperfectus infans non statim concretescit in hominem, sed paulatim formatur, et gignitur; ita multo magis cælestia Mystera multis gradibus atque promotionibus acquiruntur, et tum, qui per multas exercitationes et varia rerum peri-

cula progressus fuerit, perfectus evadet. S. MACAR., hom. 1.

Sicut participatione Christi, Christiani appellationem adepti sumus; ita per consequens convenit, omnium quoque sublimium virtutum ac perfectionum nos adsciscere communionem et societatem. S. GREG. NYS., *de cerf. hom. Chr. form.*

UTILITAS. — Sicut stilla aquæ modica multo infusa divino deficere a se videtur, dum et saporem vini induit, et colorem: et quomodo ferrum ignitum, et cadens ignis simillimum fit, pristina, propriaque forma exutum: et quomodo solis luce perfusus aer in eadem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipsum esse videatur; ita perfecti, dum Deo toti immerguntur, deificantur quodammodo, ut in Deum penitus transformantur. S. BERN., *s. de Dilig. Deo.*

Sicut volneris, cum utramque habet alam, facile se per aerem librat; quæ tamen si unam tantum haberet, difficulter se a terra elevaret, cum sola sit onus, utraque vero levamen; ita qui sola statuit servare præcepta, cum magna difficultate se, suamque mentem ad cælestia attollet, atque in perpetuo labendi periculo versabitur: secus vere, qui et præcepta, et consilia Evangelica servare decrevit. FAB., c. in *Dom. 4 post Pent.*

MOTIVA.

Quia sic « Creationis » beneficium exigit: nam, ut sapienter S. Leo; si fideliter et sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem a Deo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset Auctoris; et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinæ benignitatis forma resplendeat. S. LEO., s. 1, *de jejun. x. mense.*

Quia « Incarnationis » beneficium id meretur: nam, ut recte dixit S. Laurentius Justinianus: hæc potissima Incarnationis Christi causa fuit, quatenus per assumptionem hominem documenta saluberrima tribueret Deus, quibus peccator homo amissa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, et celestem, a qua elongaverat multum, remearet ad patriam. S. LAUR., JUST., *s. de Exalt. cruc.* Hinc merito monet S. Greg. Nazanz. Simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos: efficiamur dii propter

ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo factus est. Hinc enim, ut alibi ait, magistra lex tendit, huc exinanita deitas, aut assumpta caro. S. GREGOR. NAZ., *Or. XL*, in *Pas.*

Quia beneficium « Redemptionis » idipsum suadet: nam ideo, teste Apostolo, Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit seipsum pro ea, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. EPH., III, 7.

Quia etiam beneficium « Glorificationis » ad id impellit: hic enim quivis merito illud Abrahamo olim factum promissum appetit: Ambula coram me, et esto perfectus: et noli timere, Abraham: ego ero protector tuus, et merces magna nimis. GENES., XVII, 2, xv, 1.

Quia « filiorum sæculi exemplum » stimulos addit: Quem enim ambitiosum, ait S. Bernardus, vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? sic et curiosi cuiusque non satiator oculus visu, nec auris impletur audita. Quid? eorum, qui avaritiæ serviunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vana sectantur hominum laudes, nonne et ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentia ac tepiditatis? Pudeat certe spiritualium bonorum nos minus cupidos inveniri. Erubescat anima conversa ad Dominum, minori affectu sectari iustitiam, quam iniquitatem antea sectaretur. Est enim causa valde dissimilis. Stipendium quippe peccati mors: fructus autem iustitiæ vita æterna. Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, et quam prius in mortem ire, et minore studio salutis inquirere, quam perditionis augmentum. S. BERN., *Ep. cccxli, ad Monach.*

MEDIA.

« Vehemens desiderium; » nam, ut sanctus quidam Doctor ait, quiddid toto corde, tota intentione, tota desiderio vis, id est certissime. CORN., in *Gen.*, c. iv. Et S. Augustino teste, tota vita boni Christiani sanctum est desiderium proficiendi. Hic sinus noster est, hic saccus, et, quia angustus est, extendendo facis capaciorem. S. AUG., t. IV, *Ep. 1, JOAN.*

« Oratio assidua: » Sic enim Salomon

exemplo suo suavit, dum dixit: Oplavi, et datus est mihi sensus, et invocavi, et venit in me Spiritus Sapientie, et præposui illam Regnis et sedibus, et divitiis nihil duxi in comparatione illius. Quæ omnia æque, imo potiori jure perfectioni applicari possunt. SAP., VII, 7.

« Lectio frequens librorum spiritualium: » nam huic convenit illud S. Pauli: Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Cujus mediæ efficaciam S. Augustinus, S. Ignatius Loiola, aliique plures sunt experti. II TIM., III, 16.

« Vitæ et exempla Sanctorum frequenter ob oculos proposita: » nam, ut S. Gregorius Nyssenus ait: Credendum est idcirco vitas præstantissimorum virorum exquisitissime prescriptas esse, ut vita nostra imitatione ad virtutem et bonum rectius deducatur. S. GREG. NAZ., l. *de Vita Moys.* Quod ipsum confirmans S. Basilus: Vitæ beatorum hominum, inquit, litteris traditæ sunt veluti imagines quædam vivæ divinæ Reipublicæ, ad bonum operum imitatione propositæ. Unde quemadmodum pictores, quando imaginem ex imagine pingunt, identidem ad exemplares respicientes, characterem ad suum opificium inde transferre conantur; ita oportet eam, qui studet seipsum omnibus virtutum partibus perfectum reddere, Sanctorum vitas velut simulacra quædam viva et efficaciam respicere, illorumque bona opera per imitationem sua facere. S. BASIL., *Opusc.*, c. VII.

ASCETICA.

Septem fere sunt capita, quæ de perfectione, tanquam proprio objecto, scire debet Asceta. Primum est, ut sciat, quid requiratur ad perfectionem, scilicet, ut declinet quis perfecte a malo, id est, peccato, et faciat bonum, id est, id « quod » Deo magis placeat: et « modo » qui ei magis placeat: et « fine » qui ei maxime placeat. Hoc enim indicavit ipse Christus, dum dixit: Estote et vos perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est, scilicet, cognoscendo et amando perfectissime seipsum, ac omnia propter seipsum et gloriam suam perfectissime ope-

rando. Unde Rodriguez tres ponit gradus hujus perfectionis, seu perfecti amoris. RODRIG., p. I, t. III, c. xiv. Primus est, ut omni affectu erga terrena exuto, in solo Dei beneplacito quiescat, dicereque possit cum Esther: Tu scis, Domine, quod nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham. ESTHER., xiv, 22. Minus enim te amat, teste S. Augustino, qui aliquid amat, quod propter te non amat. Secundus est, ut etiam erga seipsum omnem amorem exuat, seque non nisi in Deo, et propter Deum amet: id enim Christus insinnavit, dum dixit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. LUC., ix, 21. Tertius est, ut operetur, non ut ipse Deo placeat, sed quia placet ipsi Deus, vel quia placet Deo, quod operatur; ita ut, quemadmodum S. Bernardus loquitur, delectet non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quam quod ejus in nobis, et de nobis voluntas adimpleta videatur. Quem gradum extollens idem Sanctus, o amor sanctus, exclamavit, et castus! o dulcis et suavis affectio! o pura et defæcata intentio voluntatis, eo sane defæcator et purior, quo in ea nihil de proprio jam admixtum relinquitur: eo suavior et dulcior, quo totum divinum est, quod sentitur! Sic affici, deificari est. S. BERN., de Dil. Deo.

Alterum est, ut meminerit, non omnes ad hanc summam perfectionem sectandam vocatos esse, atque adeo etiam non promiscue hortetur ad illam, aut inducat, sed potius saluberrimæ doctrinæ a S. Gregorio prolata sit memor: Mons, inquit, altitudinem virtutum designat, ad quam Angelus hortatur: qui non viderit, se posse ascendere, melius etsi, ut in Segor, id est, in parvula civitate remaneat, contentus laicali, et communi vita, quam montem virtutis arripiat, et ad sæcularia redeat. « Est civitas hæc juxta, » etc. juxta dicitur, et tamen ad salutem tuta, quia activa vita est, nec a mundi curis ex toto discretæ, nec a gaudio salutis æternæ aliena. S. GREG., in Gen., xix.

Tertium est, ut sciat perfectionem non in asperitatibus corporis, aut aliis similibus rebus et exercitiis sitam esse, ut interdum aliqui falso sibi persuadent, sed hæc media dumtaxat esse ad perfectionem, uti recte Abbas Moses apud Cassianum advertit, di-

cens: Jejunia, vigilia, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis constitit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem. In COLL. PP., coll. v.

Quartum est, ut firmiter sibi persuadeat, nunquam se veram quietem possessurum, nisi perfectionem, ad quam vocatus est, assequi sincere studeat; nam, ut sapienter Abbas Joannes dixit, miserum et cujuslibet artis ac studii disciplinam quampiam profiteri, et ad perfectionem ejus minime pervenire. ABBAS JOAN., in sua Coll.

Quintum est, ut ordinate ad perfectionem tendendum meminerit; nam, ut recte advertit Sanct. Bernardus; Nemo repente sit sumus, et ascendendo, non volando, apprehenditur summitas scale. S. BERN., s. I, de S. And. Quod confirmans sanct. Laurentius Justin. Quisquis, ait, in spirituali exercitio cupit perfectionis culmen attingere, juxta Prophetam admonitionem, ascensionis sibi in corde spirituales componat gradus, per quos de virtute in virtutem proficiens, ipsum Deum ex parte comprehendere valeat, a quoplenissime comprehensus est. S. LAUR. JUST., in Proem., de Grad. perf.

Sextum est, ut non concidat animos, si interdum in perfectionis studio languere, aut omnino cadere advertat, sed potius novas vires, et servorem assumat meminereque sententiæ a S. Hieronymo prolatae: Hæc una præsentis vitæ perfectio est, ut te imperfectum agnoscas. S. HIER., in Epist. ad Ctesiph. Cui etiam S. Augustinus adsupulans: Semper inquit, tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti; si autem dixeris: sufficit, et periisti. Hinc ait, Apostolum prius suam imperfectionem confessum esse, et postea se perfectum dixisse, quia ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum. S. AUG., s. XIII, de Ver. Apostol.

Septimum est, ut non statim perfectum se esse judicet, si nullius aut certe non multarum imperfectionum aut culparum sit conscius; nam, ut sapienter S. Gregorius dixit. Plerumque hi, quos jam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi Opificis aliquid habent imperfectionis. Sic sæpe imperiti homines nedum perfecte sculpta sigilla conspiciamus, et jam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc Arti-

fex considerat, et limat: laudari jam audit, et tamen ea tandem meliorare non desinit. S. GREG., l. IV, Dial.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Crates impossibile esse dicebat quemquam inveniri, qui nunquam lapsus est, sed veluti in malo punico granum quoque aliquid putrescere. LAERT., ap. Langium.

Rex Theodoricus dicere solebat: Culpa genus est, non te fecisse, quod summum est. CASSIOD., l. V, ep. v.

Recte quoque Sanct. Ambrosius: Imitatores, inquit, sui nos voluit Deus, ut prius faciamus aliqua, postea venustemus, et semper venustemus magis ac magis. S. AMB., l. I, Hex., c. vii.

Galenus dicere solebat: Cuique curandum, ut aliquando vivat continentius, et melius hodie, quam heri. GALEN., l. V, de Cur. morb.

Pulchre etiam Plutarchus: Maceriam aliquam, inquit, aut sepe conficientibus, nihil refert, obvium quodque lignum, aut lapidem humi jacentem adhibere, aut columnam a monumento delapsam subjicere; quomodo, et homines vitiosi omnia facta promiscue, omnes temere actiones congerunt, et coacervant. At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ veluti regii et sacri ædificii jactum est aureum fundamentum, nihil eorum, quæ temere aguntur admittunt, sed veluti amussi rationis aptant singula, atque concinnant. Quo de ædificio usurpari potest Polycteti dictum, qui difficilimum opus eos tractare pronuntiavit, quibus lutum est ad unguem exigendum. PLUTARCH., de Cognosc. projectu.

DIGNITAS. — Nihil est similis, et gratiosius Deo, quam vir animo perfectus bono, qui in tantum homines cæteros antecellit, quantum ipse a diis immortalibus antecellitur. LUCIUS APULEIUS, de Deo Socrates.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, de Perfect. christiana.

Ludovicus de Ponte, de Perfect. Tomis quatuor.

Lucas Pinellus, de Perfect. christ.

Bernardinus Rosignolius, de Disciplina christ. perfect.

Nicolaus Lancizius, opusc. iii, cap. x, et opusc. x, tolo.

Ludovicus Granat., in Loc. comm., f. 144.

Matthias Faber, conc. ii, in Fer. 3 Pent., et conc. v, in Dom. 4 post Pent.

Josephus Langius, in Polyanth. V. eod.

PERSEVERANTIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua in bonis operibus ad finem usque persistimus, et molestiam ex rei laboriosæ diuturnitate proveniente superamus. Unde differt a constantia, quod hæc difficultates aliunde, quam a diuturnitate provenientes superet. JAC. ALV., t. II, l. III, p. II, c. ix, § 7.

DIVISIO. — Dividitur plerumque in « finalem, » et non « finalem. » Finalis est, qua quis ad mortem usque perseverat in bonorum operum exercitio, sine qua nemo salvari potest, uti ipse Christus indicavit, dum dixit: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. MATH. x, 23. Non finalis est, qua quis ad tempus tantum aliquod, vel in particularibus quibusdam virtutum exercitiis ad finem illarum perseverat, de qua potissimum hoc loco agitur; nam prior est speciale Dei donum, quam electis suis Deus ex singulari prædestinationis favore conferre solet.

ACTUS. — Pericula cadendi, et in virtute perseverantiæ deficiendi, sagaciter indagare, et salubribus contra illa mediis se præmunire.

Seipsum variis motivis ad perseverandum excitulare, maxime efficaci illo, et a S. Bernardo aliusque frequenter usitato stimulo: Ad quid venisti? Item illo a continentia erga S. Augustinum usurpato: Potnerunt isti, et istæ, et tu non poteris?

A lapsu, si forte per frugalitatem is contingat, cito resurgere; hoc enim, ut recte advertunt Theologi et Ascetæ, est unum ex mediis, quibus Deus ad prædestina-